

diligant; tamen sui ipsorum quandam retinent proprietatem: adeoque non plane denudati sunt mystice, nec in amoris divini unitate penitus consumpti atque concremati. Unde etiam nondum æternæ beatitudinis certi sunt; quippe qui nondum omnino sibi ipsis, & omni omnino proprietati sunt emortui. Vid. supra tit. AMOR DEI PURUS. O subtilem vero! o miserum denuo Absolutissimum, quo sine suffragio Biblico Amici Dei v. g. Abrahamus, Apostoli & alii, occultis Dei filiis postponuntur! Quinam hi tandem? Denudati illi, quorum amor totus sit *nudus* sine ulla reflexione ad ullam Egoitatem & Proprietatem, qui soli sentiant in se æternæ salutis certitudinem. Subest huic Rigidismo Anti-Biblica ista Deiformitas, cujus respectu Petruccius opinatus est, verum Mysticum plus esse, quam hominem. O vanam & inanem deceptionem, Pythagoræismi, Platonismi ac Stoicisismi tenaciter æmulam! DERELICTIO A DEO FACTA. Vel perverse tribuitur homini Derelictio passiva & satisfactoria JESU CRUCIFIXI, utpote qui *μονοτρόπως* hoc tortular iræ divinæ & solus calcavit: vel *Derelictio sui ipsius*, de qua supra in tit. ABANDON, ABRENUNCIATIO &c. aliqua monui, quæ si in Davidica revolutione omnium viarum in Dominum perstaret, laudanda foret; sed cum præter alias scorias etiam hanc eidem affricet Poirettus, quod in ejusmodi perfectione consistat, cujus ratione & Velle & Perficere bonum nobis adjaceant, Hyper-Paulina & Hyper-Apostolica est; adeoque vana & irrita persuasione nititur. Atque ita Mich. Molinosi in excessu peccavit pietas, cum, si cui revelaretur, Deum ipsum absolute damnare velle, eidem injunxit, ut voluntati divinæ etiam usque ad æternam damnationem se resignaret. Impium enim est, rem tam injustam & horridam de Deo vel cogitare. Conf. infra sub voce *Resignatio*. Similiter Derelictio corporis in Cantico Opitiano: So laß den Leib / in dem du bist gefangen / nisi præscindatur a sensu Platonico, sed proveniat & cantilletur falso ex principio, medio & fine Matæologia Mysticæ, meretur correctionem: Laß ab die Sünd / in der du bist gefangen. DESERTUM pro devotionis impedimento exponitur, cum in Anachoretis

retis